

**Dissertatio inauguralis medica de diaeta puerperarum. Oder: von der Diät der Kind-Betterinnen ... / [Johann Georg Hassfurt].**

**Contributors**

Hassfurt, Johann Georg, 1702-1772.  
Schulze, Johann Heinrich, 1687-1744  
Universität Halle-Wittenberg

**Publication/Creation**

Halae Magdeburgicae : Typis Jo. Christ. Hilligeri, [1733]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/ahhc7hxj>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  
DE

# DIÆTA PVERPERARVM

Oder:

Von der Diæt der Kind-Betterinnen

QVAM

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS  
CONSENSV

P R Æ S I D E

D. IOANNE HENRICO SCHVLZE

MEDICINÆ ELOQVENTIÆ ANTIQVITATVM ET  
PHILOSOPHIÆ PROFESSORE PVBLICO  
ORDINARIO

ACADEMIÆ CÆSAREÆ NATVRÆ CVRIOSORVM ET  
REGIÆ SOCIETATIS SCIENTIARVM BERO-  
LINENSIS SODALE

PRO GRADV DOCTORIS

PVBLICE DEFENDET

*a. d. Martii M DCC XXXIII.*

IO. GEORGIVS HASFVRT

CIVIS VLMENSIS.

---

HALAE MAGDEBVRGICAE

Typis JO. CHRIST. HILLIGERI, Acad. Typogr.

DIETARY  
OVERVIEW

THE MEDICAL SOCIETY OF THE DISTRICT OF COLUMBIA

CREATION MEDICINE CENTER  
WASHINGTON, D.C.

1500 15th St. N.W.  
Washington, D.C. 20005  
Tel: 202-462-1000

CREATION MEDICINE CENTER  
1500 15th St. N.W.  
Washington, D.C. 20005

THE MEDICAL SOCIETY OF THE DISTRICT OF COLUMBIA  
1500 15th St. N.W.

1500 15th St. N.W.  
Washington, D.C. 20005

1500 15th St. N.W.  
Washington, D.C. 20005

L. B. F. L. V.

DISSERTATIO INAUGVRALIS  
MEDICA

DE

DIAETA PVERPERARVM.

---

PRAEFATIO.



Ræclarum inter priscos legum latores nomen posteritati reliquit Lycurgus ille, qui Spartanorum rempublicam ita instituit, vt quantumuis exigua vrbs, & non adeo multis ciuibus constans, totius Græciæ princeps satis diu fuerit, sola fortitudine virorum, quos produxit. Inter instituta autem eius non vltimum hoc fuit, quod PLVTARCHVS, grauis in primis auctor, recenset: *corpora virginum cursu, lucta, discique & missilium iaculationibus, exercuit, vt & nascentium exinde in robusto corpore quasi radix firma iacta, germinaret eo melius: & ipsa, robore corporis freta, in pariendo dolores facilius sustinerent: itaque omnem delicatam & umbratilem educationem, mollitiemque*

*muliebrem sustulit.* Non aliud fuisse priscorum Germanorum circa feminas institutum clare patebit vnicuique legenti ea, quæ CORNELIUS TACITUS de moribus ipsorum nobis reliquit. Illud enim in vniuersum facile apparet, quod omnem ab educatione liberorum suorum mollitiem longissime remouerint, quodque seorsim muliebri sexui omnem rei familiaris curam soli reliquerint, neque a militiae laboribus eas remotas voluerint. Ducebant enim secum, vna cum liberis, in exercitu, maximum hoc esse rati virtutis & fortitudinis incitamentum, si viri coram viderent familiam, cuius gratia aut fortiter oppetendum, aut exspectandum erat vt ignominiosæ miseræque captiuitatis sortem subiret. Valde etiam vero videtur simile, plerosque occidentalium ac septentrionalium regionum incolas, vetustis temporibus, minime omnium probasse, vt mulieres ad molliter in vmbra viuendum adducerentur, & a prima ætate adsuescerent. Ab Asiaticis populis ille mos ad Ionas, vtpote proxime illis incolentes, mox ad Atticos etiam peruenit, ab his Italiam petiit, indeque ad plures gentes migravit. Et quamquam in Germania nostra non adeo multum inualuit feminas in vmbra & ædium interiores partes

partes relegandi consuetudo ; illud tamen negari nequit, quod in illis, quibus lautius viuendi facultates adsunt, vere multa obtineant, quorum vsu corporum suorum valetudinem labefactant, etiam quum maxime ea pro tuenda valetudine sequi & obseruare se existimant. Nam dum labores, quos familia requirit, obire indecorum sibi existimant, easque fere tantum occupationes habent, quæ sedendo peraguntur ; a cibis paulo crassioribus sollicite sibi cauent, & tantum mollioribus & nutritiuis vtuntur, ratae sic consulere se naturæ, quæ feminis debilior obtigerit, iisque, quæ motu vincere cibum duriores nequeunt, recta cum ratione ita viuendum esse. Quum vero fieri nequeat, vt femina, non nisi selecto victu vsa, diu duret, quin alui obstructionibus obnoxia reddatur, plethoram incurrat, sanguinem spissum hinc reportet, mox congestionibus eius dolorificis tentetur, variaque in excretionibus naturalibus vitia sentiat: iam medico & pharmaco-  
poeo fit vectigalis: quos si officiosos diligentesque nacta sit, matronarumque consiliis consuetis dirigatur, non longo tempore interiecto eo deueniet, vt raro dies transeat, quo non medicina aliqua assumatur, nunc aluo expediundæ, mox di-

gestioni iuuandæ aut appetitui excitando destina-  
ta, aut mensibus in ordinem redigendis idonea.  
Si nihil aliud, sanguini tamen diluendo infusum  
theæ, & vaporibus a ventriculo repleto discutien-  
dis decoctum coffe tam fit necessarium, vt & so-  
læ & cum aliis, non salubrius tempus se fallere  
posse credant, quam si calidum hunc potum non  
sorbillent, sed ipsi plane insudent. Si iam acci-  
dat grauidam aliquam fieri, quantum non adhi-  
betur sollicitudinis, prorsus ut nihil sit in rerum,  
quas non naturales vocare solemus, censu, quod  
non sollicite circumscribatur: quæ singula ta-  
men nondum sufficiunt, nisi multitudo medica-  
mentorum, nec matris nec foetus causa necessa-  
riorum, accedat. Iam vero si parturiendi tem-  
pus accessit, quotaquæque est, quæ non farragi-  
nem medicinarum, ex pharmacopolio petitarum  
aut domesticarum, in promptu habere velit: quem  
omnem apparatus omnino frustra adesse vix pa-  
tiuntur, quin necessitatem, si non vera adest, ali-  
quam facile fingunt, vt modo feliciores videan-  
tur rusticis, quibus permittitur sine talibus esse fe-  
licibus. Enixam vero non pendere a consilio  
medici perpetuo, vix non apud omnes nefas ha-  
betur, postquam fere obliuioni traditum est pu-  
erpe-

erperium, æque ac conceptionem, rem esse secundum naturam; & auctores quidam medici vulnerationem vteri, quæ nulla in partu naturaliter succedente adest, fundamentum suis consiliis & methodis substernunt. Sic dum certant officii matronæ & medici, sæpius pessundantur optima & ætate ac viribus florentissimæ puerperæ, idque, ex nouissimo sæculi more, plerumque purpuratæ. Operæ itaque facturum me speravi pretium, si in gratiam matronarum, quibus genus humanum conseruationem suam debet, aliqua, quæ in hoc genere passim regnant, præiudicia ad rectæ rationis normam reuocarem, eaque indicarem, ex quibus periculum afferri posse & solere cognoui. DEVM autem veneror, vt illos meditationibus nostris successus, quos vnice optamus, largiatur; ita futurum speramus, vt humanæ societatis complura vtilia membra, funestum periculum afferentibus erroribus exempta, ad benebeateque viuendum certiore tramite progrediantur.

## §. I.

**I**N declarando autem, quid puerperam vocemus, minime puto esse laborandum, quum omnes facile intelligant, eam denotari feminam, quæ partu defuncta est: quo ipso parturientem, id est in ipso foerum suum



suum cum secundinis enitendi actu occupatam, proprio sensu non pertinere huc, sponte patescit. Illarum itaque diætam consideraturi, eam nobis incumbere operam existimamus, vt indicemus quomodo ex rectæ rationis dictamine, & experientiæ suffragio, se gerere debeant in vsu illarum rerum, quæ in scholis non naturales vocari solent, ne valetudo earum detrimentum aliquod capiat.

§. II.

Quum vero non eodem euentu mulieres partum excludant; quippe alias sine magno incommodo sanos vegetosque foetus edere, alias mortuos aut immaturos, sæpe maximis conatibus & moliminibus, fonticisque symptomatibus accedentibus vel superuenientibus, excludere constat: pro eo etiam diuersum emergere puerperarum statum facile intelligitur; porroque diætam aliam aliis ex hygieines regulis deberi, aliis ex therapeuticæ doctrinæ fontibus haustam congruere, sponte consequitur. Nam vtrique eam parti magistræ, tamquam instrumentum & ministram, inseruire certum est. Sed illam, quæ variis puerperarum morbis, actu præsentibus & infestantibus, præseribenda est, quoniam nimis late patet, & cum therapia cohærentes implicatasque rationes habet, nunc non attingemus: quum abunde multa, pro nostro scopo, dicenda sint de diætâ puerperarum tam bene recteque se habentium, quam illarum, quibus imminere aliquid, certis signis adhibitis, cum ratione metuimus, etsi nondum actu adesse comperimus.

§. III.

## §. III.

Dari puerperas bene recteq; secundum naturam habentes, forte nemo negauerit ; videbiturque aliquibus frustra de eo quæri, postquam certum est de partu medicos in physiologia agere, quæ ambitu suo nihil comprehendit, nisi quod fit secundum naturam. In eadem disciplina plerique de aqua parturitionis, deque lochiis tractant : vt & ibidem ratio & indoles exponitur illorum, qui promouendi partus causa instituti sunt, dolorificorum motuum, quibus a veteribus nomen dolorum, *ἰσθμια*, eminentiori significato tributum est. Enimuero quod vna manu liberaliter largiuntur fere omnes, idem plerique ferme altera ereptum eunt. Nam quum dolorum doctrinam requirimus, in pathologia eam inuenimus, inter res præter naturam accidentes ; si de sanguinis lochialis scaturiginibus institui optamus, aliqui caute silent de illis ; plerique anastomosin vasorum placentæ cum vteri vasis antea fuisse docent ; ablatam vero placentam non posse non matricis vasa post se relinquere aperta, vnde sanguis exprimatur : neque tamen desunt, qui absque ambagibus asserunt ortum ipsius ordinario deberi causæ violentæ, nimirum graui vteri dilaceratoris vulnerationi : quo ipso puerperæ ordinarius status morbosus esse consequitur. Jamque ipsemet sanguis lochialis fere a plurimis pro fæculento habetur, in lacunis vteri, nescio quibus, durante grauiditate deposito, qui propterea expurgandus sit, ne ex suæ naturæ inquinata conditione & ipse omnino corrampatur & reliquam massam, cum partibus solidis, inficiat. Quin vsque adeo commune est, etiam inter

plebeios homines, morbosam matricem hic supponere, ut finem lochialis fluxus, quando materia chyloso-mucilaginosa tantum exit, nomine vernaculo vocent *die Mutter - Schvvierung*, quasi dicunt *matricis suppurationem*.

### §. III.

Atque hæc sunt potissimum, quæ ad puerperarum statum aut dubium reddendum, aut morbosum declarandum, faciunt. Operæ videtur pretium recte æstimandis istis paululum immorari. Ac dolores quidem satis sensibiles coniunctos habere partum, facile largior: illos vero eosdem præter naturam esse nondum video: quum non solum omnibus parturientibus feminis humanis communes sint, verum etiam, quantum intelligere licet, omnis generis animalia partum cum dolore perficiant. Sed hæc amplius disputare a scopo nostro longius recedit, qui non de parturiente, sed de puerpera iam enixa, proprie agimus; quæ, ubi bene cesserunt omnia, dolorum immunitate iam gaudet. De lochiis dispiciendum est. Ea vero, ubi recte constituta sunt omnia, non magis præter naturam sunt, quam menstruorum fluxus, quem, rite succedentem, nemo ad morbosum statum referet. Equidem concedo illam feminam, cui secundina cum tanta violentia extracta fuit, ut grauis dilaceratoria vulneratio vteri consequuta sit, morbosam, & non solum præter naturam esse constitutam, sed omnino in discrimine magno versari: hoc vero ordinarium esse nequiquam concesserim. Sunt etiam brutis animalibus, quibus nulla obstetrix manus admouet, adeoque nec vlla infertur violentia, lochia sua.

sua. Sanguinem vero lochialem fæculentum esse depositum, sapit insignem archaismum; fere dixeram soloecismum. Tantum enim abest vt sit crassior & fæculentus sanguis, vt potius humoris sanguinolenti, longe plus scilicet feri quam cruoris habentis, nomine denotari mereatur in illis, quæ maxime secundum naturam hunc fluxum experiuntur. Quibus enim crassus, grumofus, copiosus succedit, hæ fere sunt ignauia, mollitie & luxu vitiatæ, quarum nec lochia nec menstrua naturæ modum tenere posse expectandum est: aut istæ, quas importuna obstetrix faucias reddidit: quæ ambo puerperarum genera vel morbofis ac accenseri debent, vel sub latitudine sanitatis, dubia ancipiti sorte, versantur.

## §. V.

Nimis memorabilis est illa, quam superius attigimus, appellatio finientium iam lochiorum, quam vt silentio præteriri omnino debeat. Et quoniam non solum in plebis ore est, verum etiam in medicorum libris legitur, seque haud parua veri similitudine commendat illis, qui lochiorum causam esse matricis substantiam magis minusue læsam & fauciam persuasum habent; quum nihil magis quotidianum sit quam rupta, vulsa, lacerata ad suppurationem deduci, sicque demum sanescere: totius negotii veram rationem paucis oportet edifferere. Ad vterum multa vasa sanguinem adferentia, eundemque reuoluentia pertinent: si autem disseces grauidæ matricem, haud facile obseruabis vel arteriam vel venam propria tunica, quæ ab uteri substantia dignosci possit, constantem: prorsus vt

rectissime secundum naturæ archetypum videatur scrip-  
 sisse CAROL. STEPHANVS *de dissect. part. C. H. p. 272.*  
*cum primum implantantur & inseruntur in ipsum matricis*  
*corpus, tum tunicas suas amittunt, & in primam vteri mem-*  
*branam consumunt. Sed in ipsa matricis substantia quidam*  
*veluti ductus ac canaliculi sunt varii & anfractuosi, quales in*  
*spongiis videmus, latiores & ampliores inter utrumque parie-*  
*tem, quam in extremis, sanguinem intro demittentes ad foe-*  
*tum præcipue nutriendum. Hos vero ampliores ductus*  
 ac canales finuum nomine non male insigniunt aucto-  
 res anatomici, quia rotundam figuram & fere cylindri-  
 cam, vt alii canales sanguiduci, vix exacte seruant:  
 quod & in illis, quos in dura matre videmus & sinus  
 appellamus, obtinet: vnde denominationis rationem  
 fluxisse colligimus. Ab his vero sinibus latioribus &  
 amplioribus versus interiorem vteri superficiem ten-  
 dunt ductus admodum exiles & tomentosi, quos in ex-  
 tremitate sua prorsus villosos obseruare licet. Has ex-  
 tremitates, non nisi tenuissimum fluidum serosum, si or-  
 dine iusto omnia fiant, vehentes & transmittentes, vi-  
 deo a clarissimis viris vaginularum vteri nomine insi-  
 gniri, quoniam ipsis, sicut vaginæ gladius solet, inferi &  
 immitti credunt extremitates placentæ vterinæ villo-  
 sas, quæ inde suscipiunt quicquid a matre ad foetum  
 transmittitur. Verene hanc tam subtilium partium  
 commissionem ita fieri viderint, an, antiquitatis hono-  
 ri consulturi, ita rem conceperint & eloquuti sint, in  
 medio relinquo, quum ad præsentem rem parum omni-  
 no faciat, modo illud maneat, quod nemo negauerit,  
 extremitates vltimas vasorum vterinorum villosas cum  
 villosis

villosis extremitatibus tunicae illius tenuissimae, quae placentam exteriori sua facie ad vterum spectante ambit, ita coniungi, ut ex alteris in alteras detur transitus quantumcunque tenuis. Haec vero, ante quam foetus in utero suam maturitatem consequatur, non minus arte cohaerent, quam arborum immaturi fructus petiolo suo arboribus, aut vasa umbilicalia umbilico: ubi vero ad iustam maturitatem peruenerunt, facili negotio vel sponte secedunt, vel leuissimo tractu aut agitatione separantur. Quum vero, separatione facta, vterus, omni extendente mole liberatus, fibrarum suarum contractilitate semet in pristinam angustiam retrahens, sinus etiam suos angustet, fieri non potest, quin humores antea intus conclusi undiquaque premantur, & pars illorum per istos tenues meatus expellatur, ipsa pressione meatus illos aliquantum dilatante, donec a tergo vrgens sanguinis, vterum subire soliti, copia aliis viis adfuescat.

#### §. VI.

Hinc fit ut mox a partu non solum feminae rectissime valenti, verum etiam omni animalium domesticorum, in quibus obseruationes facere licuit, generi, humor sanguinolentus initio profluat: feminae autem valde plethoricae, quae desidia sua sanguinem etiam spissum cumulauit, copiosior, & in grumos abiens, colligatur. Quam primum autem sanguis ad vterum confluere desinit, & ad mammas iter potissimum direxit; ac vterus successiue ad pristinam paruitatem rediit: rubedo quidem perit ac non nisi serum penetrat: quod tandem, quo magis tenues sunt redditi tot extremitatum villosa-

farum exitus, paucissimum profluit, & alba, chylosa ac benigna sua indole eandem faciem præ se fert, quam in chirurgia obseruamus, vbi in abscessuum iam repurgatis sinibus illud antiquis auctoribus vocatum cambium optimi de futuro successus spem ostendit. Quod intuiti, simulque considerantes non nisi prægressa suppuratione in abscessibus hoc solere fieri, vnius effectus eandem esse causam vtrouique rati, hic etiam de suppuratione philosophati videntur quidam medici, vnde plebem persuasio eadem peruasit & prorsus inueterauit.

#### §. VII.

Vidimus quam adeo nihil puerperium recte succedens, & in feminis, quæ secundum naturam vixerunt, præternaturale secum ferat: vnde nec vlla apparet necessitas diætam talibus aliam præscribendi, quam quæ hygieines ordinaria præcepta cuius individuo aptat. Sed forte aliud docebit consideratio magni laboris, quo puerpera, cum foetum enititur, sæpe satis defatigatur. Enimvero tantus non est ex sua natura isthic labor, vt recte valentem cetera mulierem nimis affligat. Iniurii in conditorem humani generis videmur, si ipsi tribuimus, quod humanæ mulieres ad partum sustinendum minus fortes videntur, quam femellæ animalium ceterorum, quæ edito iam in lucem partu nihilo, quam antea, alacriores ad victum sibi proliquo conquirendum prodeunt. Omninoque in plebeiis hominibus plures videmus, quæ vix a labore ordinario tantillum requiescunt: & puerperio plerumque longe feliciter defunguntur, quam quæ *μετὰ πολλῆς φαντασίας* superbo inclusa

clusæ lecto ignaua quiete marcescunt, & seruitia imperii delassant.

§. VIII.

Quod si hæc singula non efficiunt, vt puerperarum statum præternaturalem esse agnoscamus, forte coniunctim sumta omnia, vt dolor, hæmorrhagia, labor enitendi & hinc orta defatigatio ac debilitas, obtinere debebunt vt morbosum quid in puerperis omnibus agnoscamus: præsertim quum ad diæta omnia accedat momentum grauissimum: scilicet multiplex mutatio tam solidarum quam fluidarum in puerperæ corpore partium. Nam quantum summopere antea expansus, nunc sese contrahens, vterus mutetur, palam est: omnia abdominis membra hinc situs quandam variationem sentiunt, & versus inferiora descendunt, postquam causa ea sublata est, quæ fursum eadem propulerat: ipsi thoraci amplius, saltem liberius spacium permittitur. Musculi abdominis, superstrata ipsis cutis, & substratum peritonæum, contrahendo semet occupantur: e contrario autem mammæ increscunt, & thoracis cutis incremento mammarum tenditur: sanguinea uteri vasa angustantur, ad mammas tendentia, vna cum tubulis galactophoris, panduntur & amplificantur. Et hæc in solidis fiunt, tam vario modo, tam multis locis. Fluidis, quæ antea non habebant spiracula, nisi ordinaria in corporis superficiebus, eaque angustissima, nunc aliquot millena noua amplioraque præsto sunt & tam late patent, vt non solum tenuior halituositas, aut ferum subtile, effluat, sed plane simul sanguinei globuli penetrent. Hinc non solum minuuntur quantitate:  
sed



sed vero etiam videtur simillimum qualitati aliquid accidere debere: calor saltem, qui melius in humoribus inclusis fouetur, detrimentum aliquod capiet, vbi tot locis exspirare potest. Annon etiam aliquid, per poros introducentes, sanguinis massam hic subibit? Quæ singula cogitanti, & inter se tot mutationum momenta comparanti ac coniungenti, facile forte videbitur, totam corporis oeconomiam hæc inter mirifice perturbari, multaque fieri debere quæ sunt præter naturam.

§. VIII.

Equidem stupenda hæc esse agnosco & profiteor, quæ ad conditoris nostri sapientiam cognoscendam, aut saltem admirandam & celebrandam, ducere nos manu debent: absit autem vt ordinem naturæ ab his necessario turbandum esse vel in mentem veniat. Quæ iusto ordine, mensura, tempore decurrunt ad finem salutarem, & talia sunt, vt necessario sic fieri debeant, aliter autem non possint; ea præter naturam haberi non debent. Si magnæ & stupendæ mutationes naturalem statum turbarent, omnes in lucem recens editi infantes deberent maxime ægrotare, quibus a prima lucis vsura, intra paucos dies, tot admirabilia accidunt, vt iuncta omnia, quæ in matribus fiunt, vix commemoratu digna videri debeant, si cum magnitudine illorum conferantur, quæ in tenellulis corporibus, plerumque sine languoris vlllo sensu aut vestigio, tacite placideque absolvuntur. Quid potest magis admirabile esse, quam animal, in mediis aquis enatum, & per complures menses viuere adsuetum, illico aeri adsuescere, aquis desuescere, simul ac lucem vidit: sanguinis omnem massam per pulmo-

pulmones, antea feriatos, traicere, vias sanguinis maxime patulas breui tempore omnino claudi, quin aboleri, vt sunt foramen ouale & canalis arteriosus, vt & canalis venosus in hepate: insignia & ampla vasa, duas arterias vmbilicales, vnamque venam amplam, ab vmbilico separari, illo extremo acuminari tamquam cauterio tactæ essent, intus retrahi, cavitatem amittere, quin maxima sui parte omnino aboleri, vt nec vola nec vestigium verum supersit: ipsius cordis, quod nullo momento feriari debet, quasi refingi fabricam, vt, quod in embryo duobus ventriculis exacte æqualibus magnitudine, capacitate, robore & crassitie fibrarum constabat, sibi dissimile fiat, sinistro per omnia robustiore, dextro, quasi appendice sinistri facta, longe illo flaccidiori & fibrarum tam copia quam robore inferiori.

## §. X.

Hæc vero hætenus commemoranda fuerunt, vt intelligeretur nullo pacto confirmari posse illud, si non apertum dogma, directa tamen consequentia fluere ex quibusdam assertis visum, tamquam puerperarum ordinarius status morbosus sit, aut magis ad morbum quam naturam accedat. Manet igitur firmum puerperium in se consideratum non efficere mulieres morbosas: darique puerperas, quæ omnino sine vlla valetudinis offensa ea omnia absoluunt & sustinent, quæ ab hoc negotio, ex natura eius, separari nequeunt, longaque plures dari posse tales existimandum est, nisi plurimæ morbis suscipiendis idonea ac præparata ad hoc negotium corpora adferrent, seque deinceps incongrua diæta præcipites in morbos darent. Quantumuis enim

contententes puerperium in se morbum haud secum ferre : propterea haud negamus, hoc maxime tempore feminas morbis opportunas esse, si recte viuendi regulas nimis secure negligant, aut impedire non possint, quo minus externæ quædam causæ impetum in se faciant. Nam quò plura sunt, quæ intra breue tempus aliter in corpore componi disponique debent, eo facilius est impedimentum naturæ talia peragenti posse obiici, vnde omnia perturbentur & periculosa confusio ordinis enascatur.

### §. XI.

Paucis itaque dispiciemus, quid sanæ & recte habenti puerperæ tenendum sit, ne aliquo in rebus non naturalibus errore commisso lædatur. Aerem talem curet habere circumfusum, qui nec frigiditatis sensum inferat, nec æstum adferat, eamque temperiem, quantum fieri quidem potest, æqualem conseruet. Corpore leuiter tecto iaceat, in tantum quidem, ne transpirationis successus villo pacto prohibeatur : cauendo ab anili commento, quod ad sudorem perpetuo dispositam puerperam manere iubet, illisque, quæ continuo madent, *die hübsch in der Beitze bleiben, und wohl neun und neunzig Schweisse abwarten*, optimum successum puerperii promittit. Quid enim boni sperabimus de femina, cui humiditates tenuissimæ per continuos sudores subtrahuntur, vt massa humorum spissa non euadere non possit? Nonne aliis excretionibus secedet, quod hic inconsulto effunditur studio? Hinc lochiale negotium protrahitur ac sufflaminatur, aluus dura & tarda redditur : quæ duæ fere causæ primæ sunt, cur ini-  
tio

tio quidem pharmacopolium domesticum exhauritur, deinde vero, si malum iam radicatum latius progreditur, ad medicum curritur, qui plerumque tunc demum vocatur, quum mala per longam inualuere moram, ut sæpe non mirum sit, cur sero parata medicina parum prodesse possit. Neque istud solum est nimii caloris periculum, sed ineuitabile fere aliud ex hoc consequitur, ut, quoties necessitas aliqua puerperam surgere de lecto iubet, sicque vel leuissime refrigeratur, illico alterationem quandam corpus sentiat; quæ non raro, aliis concurrentibus causis sese iungens, febrium generationi nimis efficaciter fauet. Ne dicam quantum in se calor valeat ad humores exæstuandos, quantamque puerperæ anxietatem afferat, difficilem tandem respirationem reddendo, quum pulmones non rite expandantur, ubi non nisi calidus & iam satis expansus, forteque pluribus diebus non ventilatus aut renovatus, aer admittitur.

### §. XII.

Circa cibum & potum puerperæ recta ratio præscribit antea omnia quidem iustam moderationem in quantitate, primis utique diebus, donec vterus ad legitimum modum redactus, sanguinis autem ad mammas confluxus, per satis iam patulas vias, libere fiat, ipsaque lactis secretio laudabiliter succedat. Ante enim, quam hoc vrgens negotium absolutum est, facile nocet repletio quæcunque: posthæc plenior victus tutius indulgetur, quantum matri sustentandæ & recreandæ sufficit, quæ soboli lacte suo nutriendæ haud parum debet impendere. Primis diebus, dum lactis negotium nondum

absolutum est, a carnibus carniūque iusculis melius abstinetur: tantoque magis si ipsa puerpera carnes auersatur: quod non rarum est cernere: superatis illis edat, quæ boni fucci sunt & nutriunt, quantum necessitas postulat: modo condimenta aromatica parce moderateque addantur. Potus sit sufficiens, primis diebus tenuis, neque frigidus, nec omnino calidus. Quæ theæ & coffe infusis adsueuerunt, ea moderatione illis vtantur, ne incalescant & sudorem inuitent: quo errore porro ad calidum regimen ceterum adiecto, facile adducuntur puerperæ ad purpuratas excretiones cutaneas, quæ non paucis funeste decurrunt.

### §. XIII.

A motu laborioso & defatigante puerperam consuetudines moratiorum gentium vbique eximunt. Quies ipsis, primis maxime diebus, indulgenda est, qua in lecto commodissime fruuntur, quamdiu lochiorum fluxus durat: hoc absoluto nihil prohibet extra lectum aliquando versari, obambulare, rebus non delassantibus occupari, sicque per gradus debitos ad pristinum viuendi & rem domesticam curandi ordinem redire. Somni beneficium bene valenti puerperæ neutiquam eripiendum est: quod passim solent per primas a puerperio horas: forte ex eadem ratione, qua illis, qui sanguinem ex vena emiserunt, dissuaderi solet: quoniam iam inualluit præceptum, puerperas ita tractari debere, vt vulneratas. Fallor, an illud ex eo fluxit, quod CORN. CELSVS *lib. VII. c. 29.* de femina agens, cui foetus mortuus multo molimine & ferramentis extractus est, præcipit, curationem illis talem esse debere, qualis in inflamma-

tio-

tionibus & in his vulneribus, quæ in neruosis locis sunt, adhibeatur: quod particulariter dictum, in regulam vniuersalem conuersum est. Metuunt utrobique, ne sanguinis profusio exorta non sentienti vitam eripiat, aut ne syncope superueniat, quæ non animaduertatur. Ceterum nec meridianus nec diurnus somnus denegari debet, si sollicitudo tenero infanti impensa noctes, ut sæpe solet fieri, insomnes fecit.

### §. XIII.

In censu rerum excernendarum hæc retinendarum non nulla obseruatio etiam sanissimæ puerperæ debetur, præcipue propter lochia, quibus omnino prospiciendum est, ne maturius, quam par est, desinant, aut parcius iusto fluant: quod utrumque magis euitando ea, quæ impedimento esse naturæ possent, cauebimus, quam nitendo efficiemus. Diximus antea quid inconsultus calor, sudatio, potus deficiens hic valeant, ad salubre hoc negotium turbandum: quæ euitanda impenso studio suademus. Ceterum vero si absque vlllo errore præuio videantur nimis parce profluere lochia, bene perpendenda multa sunt, ante quam promouendi illa consilium capiatur: an feminæ menstrua etiam parce fluxerint, an breui ante partum vena secta humorum abundantiam minuerit, an ipso in partu multum sanguinem effuderit; quæ si addicant omnia, & puerpera nihil mali sentiat, non illico trepidandum est. Si aliquid suspicandi rationes adsint, suaserim potius experto medico rem permitti, quam propriis consiliis agere: tantoque magis hoc opus est, vbi refrigeratio, aut alius

quiscunque error, subitum fluxus finem attulerit: quo ipso puerpera sana esse desinit.

§. XV.

Solent alicubi puerperarum recens enixarum ventribus fasciam longam ac latam circumducere, ut & partium antea extensarum debita contractio adiuuetur, & ab hac rite succedente sanguis, a quo uterus tantopere perfusus fuit, sensim exprimatur. Ea deligatio, si quidem modesta fuerit, nihil habet, cuius causa reprehendi debeat: si vero nimis arcta fiat, ut vix respiratio integra sit, ac circulo sanguinis libero obsit, iuste reprehensa iam est a RVYSCHIO *Aduers. anatom. Dec. II. p. 39.* Forte impedire tam strictis vinculis id volunt, quod MERCATVS satis aniliter metuit, ne uterus, tamquam fera siluestris, vagetur ab euacuatione.

§. XVI.

Est etiam alui libero successui inuigilandum: non solum ne omnino supprimatur, sed etiam ne nimis sicca secedens, & cum magno conatu deponenda, occasionem præbeat lochiorum negotio turbando. Hoc etiam magna ex parte cauebitur, euitato illo errore, qui nimio calore & sudoris euocatione committitur: deinde potu sufficiente & diluto assumto. Quum vero feminis tantum non semper longe capaciora sint intestina, quam viris, & pleræque, etiam sanissimæ, aluum rarius deponant: puerperii vero tempore cibus plerumque utantur mollioribus, minus multum fæculenti & recrementitii relinquentibus, omnium facillime hæc excretio moras nequit. Obuiam huic ire per diætam  
lice-

licebit, primo quidem, si non adeo sollicitè eas iusculentis & mollibus cibis adsuescamus, quin permittamus etiam solidioribus frui: non beneficio imputemus panem similagineum, sed domestico bono frui patiamur. In mensa aliquando apponantur pruna cocta, passulæ. Si cum his omnibus tamen ultra consuetum cuique tempus moretur alius, consultissimum est enemate emolliente & oleoso aluum ducere: quod longe fit securius, quam si medicinæ in hunc finem adhibeantur. Si clysterem infundi sibi nolit, passulis aut prunis decoctis aliquantulum radicis rhabarbari, radula comminutæ, inspergatur: quod non solum puerperis sed & gestantibus plurimo cum fructu suadetur. Oleum etiam amygdalarum dulcium, recens & frigide expressum, & cum iusculo haustum, aluo leniendæ prodest, & alias insignes utilitates puerperæ spondet. Transpirationem insensibilem perpetuo conseruandam, sudorem neutiquam prouocandum esse, iam proposuimus.

#### §. XVII.

Optimæ valenti puerperæ grauissimum damnum afferre valent subiti affectus, quorum omnes occasiones, quantum fieri potest, præscindendæ sunt. Vnde non malo consilio fit apud illas, quarum conditiones lautiores sunt, vt puerperio celebrando peragendoque destinetur intima pars ædium, vnde omnis strepitus remoueri possit. Fere tamen maximum a terrore magno imminet periculum eo tempore, quo lochiale negotium peragitur: a quo læsis illico succurrendum est a medico, si præsto sit. Si nullus haberi possit, vt rure  
degen-



degentibus, dent operam præsentem, ut animum probabili sermone erigant & porrigant aliquid eorum, quæ puerperæ in tali periculo constitutæ suo loco commendabuntur. Iracundia etiam, grauiorque excandescencia, mirum in modum noxia euadit, quare omnes caute submoueri debent occasiones, quæ animum irritare queant. Bono autem animo esse, & optima de futuro sperare, omnique fiducia in Deum collocata, de successu præteritorum lætari imprimis conuenit: sic enim omnes actiones naturales exoptato vigore constant, ipsaque natura, sibi per omnia relicta, nulloque impedimento turbata, ad felicem exitum omnia perducit. Iuuat tempestiuus confabulationibus cum domesticis & amicis tempus fallere, talibus tamen supersedere visitationibus, ubi decori ac consuetudinis imperiosæ leges aliquando dissimulare, aut facere & omittere multa iubent, quæ solæ nec facturæ nec intermissuræ fuissent. Est aliquibus locis in more positum, ut, finientibus iam puerperii diebus, visitantes amicas singulari pompa excipiant, quo tempore multa facere coguntur, a quibus defatigantur aut læduntur: aliquæ etiam ex illo principio ortos morbos sibi contraxerunt, qui funestum exitum habuerunt, quum ad illud usque tempus incolumes peruenissent. In talibus præstaret omnino mori non obsequi, quam consuetudinem sestando mori.

#### §. XVII.

Atque hæc sunt, quæ de puerperæ rectissime secundum naturam habentis regimine dicenda fuerunt  
vifa:

visa : quæ ita putamus iustum modum tenere , vt nec puerperam nimis constringant , neque tamen omnino laxam periculo exponant. Omninoque maluimus in eam partem , quæ cautior est , inclinando peccare , quam ad viuum omnia resecando , culpam sustinere , quod sequioris sexus necessariæ curæ detractum iuerimus. Illud satis certo scimus , & tanquam ἔνδοξον præ nobis ferendum putamus , feliciorum per omnia esse feminam , quæ sibi minimum indulget , dum grauiditatis tempora complet , otia refugit , mollitiem odit , a nullo rei familiaris labore , quem sustinere valet , abhorret , & imaginariam tam diætam quam therapiam , in muliercularum & speculantium iatrosophistarum cerebris enatam , ignorare cupit. Iuuabit illas audire honestas matronas , non gregariorum militum vxores , sed quarum mariti conspicuum aliquem gradum militiæ consequuti sunt , quæque ad gentis nostræ illas matres , quæ ante bis fere mille annos vixerunt , proxime accesserunt vitæ genere ; mirabuntur sane , quam multa cognoscent illas tulisse impune & absque incommodo , quæ ad decempedam vrbanae consuetudinis relata homini haud toleranda , longe vero minus grauidæ aut puerperæ cogitaturæ sunt. Quid natura humana ferre possit talibus quidem exemplis æquissime considerabunt omnes ingenuæ : sed forte veniam etiam roganti daturæ sunt , si illis stitero exemplum feminæ ex vltima quidem fæce , & seruæ , tamen hominis & puerperæ , quod D. D. SAM. LEDELIUS , medicus Görlicensis , ad illustris Academiae Naturæ Curiosorum Ephemerides transmisit , quarum Dec.

II. Ann. VIII. pag. 84. legitur. Scilicet iuencula XVIII. annorum, furtiua venere imprægnata, illud celabat & debito tempore, dum in superiori contignatione horrei sceno impleti cubabat, medio noctis puerperio sola defungebatur. Primo diluculo surgebat, trituratione imperata toto die occupabatur, eodemque labore per totam hebdomadem, non alio quam consueto victu vasa, fungebatur, omniaque domestica officia præstabat, ac si nihil passa esset, donec post octiduum in suspicionem adducta, examinata & inspecta, de partu confessa est.

### §. XVIII.

Miramur talia legentes apud scriptores illos, qui inter Calmuccos & Indos versati annotauerunt, quæ ibi viderunt. Recognoscamus quid in ipsa Germania vere factum sit, & definamus tandem naturæ imputare, quod vitio temporum & morum accidit. Crebra puerperarum funera non puerperio debentur, sed plurima incongruæ puerperarum diætæ, & longe plurima ex his nimis accurato & sanæ rationis terminos excedenti *ἐθελοδίαίτω καὶ ἐθελοθεραπεία*, i. e. cerebrino regimini, falso valetudinis fulciendæ & fictitium morbum fugandi superandique studio vnice superstructo, aut inuitabilis cuiusdam, quem phantasia præcepimus, morbi præoccupandi. Scilicet de nobis cecinit vates:

*Damnosa quid non imminuit dies?*

*Ætas parentum, peior auis, tulit*

*Nos molliores, mox daturus*

*Progeniem vitiosorem.*

### §. XX.

## §. XX.

Quum vero nostris temporibus eo res deuenit, vt rarissime obuēniat puerpera omnino sana, & quæ totum tempus sine aliqua valetudinis labe aut vacillatione transigat: adiicere nunc debemus, quæ tenenda sint puerperæ morbi alicuius rudimenta primaque initia percipienti, ne illa negligendo totam se occupandam isti permittat. Plurima autem puerperæ mala enascuntur, quando lochiorum legitimus successus errore aliquo fuit turbatus. Potentissime hic valet terror, a quo omnino prohibere & præseruare puerperam, in hominis nullius potestate situm est; vtinam effectus eius noxios corrigere semper liceret. Diæteticus quidem fons hic suppeditat ante omnia, vt probabili sermone erigatur percussa: præbeantur aliquot croci stamina deuoranda, aut cum iusculo adsumenda: si adsint lapides cancrorum præparati, drachma vna cum cyatho vini Rhenani præbeatur: si vinum desit, locum eius supplebit acetum quoduis; vt cancrorum lapidibus surrogari possunt, quæ vix vñquam in domo deerunt, ouorum testæ comminutæ. Aluo mox infundantur enemata ex blandissimis emollientibus & carminatiuis cocta, aliquot olei cochlearibus adiectis, siue sit amygdalarum dulcium, siue oliuarum aut lini: quorum si nihil suppetat, quæuis pinguedo vt caponum, anserum, gallinarum, immo butyrum etiam, optatum fructum feret. His adhibitis tranquilla coniungatur in lecto quies, qua fruentibus iamque animo sedatis optime sperare licet, si nulla caput infestet congestio indeque ortus

dolor, si palpitatio cordis conquiescat, si pulsus ad naturalem modum reuertatur, si alius post aliquot horas, si lotium mox descendat. Quorum si nihil respondeat, res iam ad therapeuten deuoluenda mature erit.

§. XXI.

Fieri quoque solet vt maiori excandescencia, illa præsertim, quam ex indignatione præuia moeror profundus excipit, lochiorum successus prohibeatur & interceptiatur. Haud certe minus hic est fonticus affectus, si non magis etiam periculosus; quum duo contrarii motus auctores se immediate suscipiant, quorum prior expandendo humores & commouendo, solidarumque partium motum intendendo agit, alter subsequens intra compellendo, exteriora autem constringendo, terrori paria faciat. Compar autem est auxilium, quod a diæta hic etiam adferri potest, omninoque idem, quod antea indicauimus. Neque aliud melius suaderi potest puerperæ, cui frigus improvide admissum lochia cohibuit, nisi quod huic etiam facilius inter initia succurratur vapore calido ad muliebria loca admisso ex lacte simplici, aut incoctis floribus chamæmeli, sambuci, & similibus domesticis, per intestina vero infuso enemate ex similibus parato, adiectis oleosis aut pinguiibus aliis.

§. XXII.

Febriles aliquando horrores puerperam percurrunt, primis vtique diebus, quando vasa ad mammas tendentia dilatanda & amplianda sunt, vt lactis prouentus consequatur. Tunc in primis id dare debemus

mus operam, vt nihil admittatur, quod tranquillum & placidum transpirationis successum omnino sufflaminet: & ne molestus affectus animum perturbet. Succurritur blandis frictionibus, & spinæ dorsi, maxime inter scapulas inunctione cum oleo chamæmelino aut anethino. Eædem inunctiones profunt, quando a partu dolores non conquiescunt, vbi insuper præcordiis etiam adhibendæ sunt. Interioribus per enema paregoricum & oleosum prospiciatur: iusculis addatur semen cumini in puluerem redactum, aut nigellæ, quod experimentis multis comprobatum laudatur. Quando autem res ad febrem manifeste spectat, siue lochia suppressa sint, siue aliquis magnus error naturam perculerit & turbauerit: vix sola præsidia sufficient a diæta petenda, matureque adsciscendum medici auxilium suademus.

## §. XXIII.

Accidit non numquam puerperis, vt mammæ erysipelacea quadam inflammatione corripiantur. Huic mederi facile licebit impositis linteis croci tinctura imbutis, ficcis tamen & calidis. Nescio an multum referat siue aqua affusa, siue spiritu quodam non nimium rectificato, siue tandem vrina pueri impuberis tinctura croco extracta linteis tingendis adhibeatur: noui tamen matronas qui vltimo modo prærogatiuam sigularem, experientiæ suffragio confirmatam, tribuunt. Mammæ aliquando nodi quidem distendunt, nondum satis liberis & expeditis viis, per quas humores ferantur. Matronæ pelliculam mustelæ, præsertim albæ, imponunt, eaque subinde nodos blande fricant. Hæc si non

ad manus sit, aut non satis promptam opem ferat, imponatur emplastrum de spermate ceti, aut diaphoreticum Mynsichti, aut, quod etiam desperatis fere rebus & ad suppurationem iam spectantibus, præter & supra spongiæ multis profuit, ceratum citrinum: nec contemnendum est diachylon comp. cum illo de spermate ceti mixtum.

§. XXIII.

Multas subinde molestias matribus faciunt fissuræ papillarum, quæ raro sine tumore magno conspiciuntur, vnde tenellulis suctio lactis perdifficilis redditur. Incipienti malo fere optimum est liquamen myrrhæ, pulvere glycyrrhizæ ad linimenti consistentiam redactum: vbi iam inualuit, oleum ceræ, aut solum aut oleo ouorum distemperatum, ad opem vocare conuenit: iterumque iuuat fluxilitatem eorum inspersa glycyrrhizæ farina temperare, & pileolum ex cera flaua confectum muniendæ papillæ super imponere. Atque hæc sunt, quæ pro ea, quæ suppetit, copia temporis, commentari de regimine puerperarum licuit: quantum scilicet per diætetica consilia, ipsique proxima quædam externa, eam regere licet, ne ex statu suo, per se quidem & ex sua indole nihil præter naturam secum ferente, in valetudinis periculum aut detrimentum adducatur:

quod ne vlli accidat, ex toto animo  
optamus.

F I N I S.

Sæpius

**S**æpius indigna cinguntur tempora lauro.  
Quare legitimus concutit ossa dolor.  
Tu vero doctæ merito fers laudis honores  
Et vigilis curæ præmia digna capis.  
En! Tibi propterea læto de pectore plausus  
Prodere conatus tanta brabea videns,  
Gaudia contestor, de fausto gratulor ausu,  
Et precor ut porro prospera cuncta cedant.

*Nobil. & Experientissimo Domino Docto-  
rando de hoc Eruditionis specimine  
gratulabatur applaudens*

**V. B. Brockman,**  
Physicus Civit. & Provincial.

---

**Q**ui didicit veras morbi perquirere causas,  
Felix curabit; rixas contemnet inanes.  
Sedulus his missis, illis HASFVRTE dedisti,  
Omne tuum studium; quæ propter fausta manebit  
Te praxis, tibi cuncta cedent felicia semper.

*Hæc, Hasfurto suo adplaudens cecinit,  
Opponens,*

**S. Schaarschmidt,**  
Med. Lic.

**So**



**S**o rühmlich, wohlverdient und schön,  
**S**o würdig in dem Purpur stehn,  
Als Du, geschicht gewiß nicht offte.  
Dis alles ist in Dir vereint  
Und giebet Dir, Geehrter Freund,  
Das alles was man immer hoffte.  
Wer leugnet, was die That beweist?  
Was Hoffmann und was Schulze zeugen?  
Dis ist genug, wenn alle schweigen,  
Daß Du recht würdig **DOCTOR** seyest.

Durch diese zwar wenige doch wohlgemeinte Zeilen  
wolteder Wahrheit und Freundschaft nach,  
dem Herrn Doctorando seine Ergebenheit  
bezeugen

**Nicolaus Borries,**  
Haffnia-Danus Med. Cult.

